

mensum laborem tam diu sustinere, atq; institutum opus ad exitum tandem perducere, agnosco solius Dei beneficium esse, qui vires tum ingenij, tum corporis ad eam rem benignè nobis suppeditavit. Pro quo beneficio mecum alij, quibus labor noster profuturus est, ipsi Deo fonti sapientiae ac vitae grati esse debent.

Fortassis autem eximij artifices collatis inter se observationibus aliquid in motibus aequalibus deinceps limare poterunt, sed prosthaphæreseon tabulas iudico & retrò & porrò ad totam mundi durationem vtiliter seruituras.

Ex his tabulis anni magnitudo adparens quouis tempore, & maxima ☉. obliquitas supputari potest. Id hæctenus desideratum est.

Eclipses luminum hinc certius prædici possunt, quàm ex prioribus tabulis.

Etiam retrò supputari possunt tum motus omnium planetarum, tum verò Eclipses, ita vt calculus consentiat cum historia observationum, præsertim ea, quæ apud Ptolemæum extat, à qua Alphonsinus calculus interdum satis procul recedit.

Et in parallaxibus adieci prioribus septem Climatibus alia item 7. loca versus Boream, atq; omnem supputationem accommodavi ad mediam ☉. obliquitatem, quò rectius seruiant Canones parallaxeon omnibus ætatibus.

Postremò has nostras tabulas spero aditum facturas plurimis ad fontes ipsos apud Ptolemæum, & Copernicum penitus intelligendos, & accendentur nostro labore aliorum studia, vt cogitent porrò etiam de conseruatione huius artis, & emendatione motuum, præsertim aequalium, vt dixi.



* 5

ORDO